



Zweiter Bericht

über das

Königliche Katholische Gymnasium

zu

Neustadt in Westpreußen,

durch welchen

zur öffentlichen Prüfung der Schüler am 7. August

ergebenst einladet


der

Director der Anstalt

Professor Dr. Johannes Seemann.

Voran eine Abhandlung des Gymnasiallehrers Dr. Pior:


„Bellum Spartanorum contra Persas usque ad initium belli Corinthiaci.“ Particula II.



Neustadt Westpr.

Druck von H. Brandenburg.

1863.



DE
BELLO SPARTANORUM CONTRA PERSAS.

USQUE AD INITIUM
BELLI CORINTHIACI

— **PARTICULA II.** —

SCRIPSIT

DR. GUILIELMUS PIOR.



C O R R I G E N D A.

P. 8 v. 19 et 20 lege	congruentem	pro congruens.
„ 9 „ 8	„ fecerunt	„ fecerint.
„ 9 „ 30	„ dimicante	„ dimicantem.
„ 10 „ 14	„ instructa	„ extracta.
„ 10 „ 26	„ facere liceret.	„ facere, liceret.
„ 11 „ 9	„ <u>instructus</u>	„ extractus.

Praefatio.

Dissertatione inaugurali, quam ante hos VII annos scripsi, bellum Spartanorum contra Persas gestum inde ab initio eius usque ad exordium belli Corinthiaci enarratum est. Sed propter angustias libelli illius ad certum finem descripti res armis tantum gestas verbis persequutus sum eamque omnem enarrationem totius operis particulam priorem definivi. Quae de causa, quum huic programmati disputationis praemittendae munus ad me delatum sit, expectatum tempus iam videtur adesse, quo cetera omnia ad belli illius gerendi rationem plane perspicendam necessaria, — quae fuerit belli vis, qui eventus, quibus rebus domesticis Spartani Persaeque eo tempore usi sint, — satis dilucide pertractare mihi liceat. Itaque operis mei posteriorem particulam, prioris additamenta, in lucem proferre conabor, quum non sim inscius ea omnia in particula priore esse omissa. Priore enim illo fasciculo de fontibus, qui mihi consulendi fuerint, nondum disputavi. His igitur nunc repetitis, de temporum computatione apud scriptores rem nostram tractantes pauca disseram. Causae praeterea quae proximae fuerint belli, satis perspicue videor mihi in priore particula ostendisse. Nunc tamen, ne quid in iustis belli illius causis diiudicandis desideretur, de universo Spartanorum et Persarum statu, quae eorum — quum remotioribus tum maxime belli Peloponnesiaci et insequentibus temporibus — fuerint res externae, quibusque institutis domi sint usi, aliquanto uberius ita disputabo, ut omnes belli causae possint cognosci. Cogitantem vero me de belli causis gerendique ratione atque eventu, neque quantum valuerint apud Persas domi militiaeque satrapae, potuit fugere, neque quibus animis et consiliis Graecae urbes Asianae, postquam Lacedaemonii (altero principatu sibi parato) in illis paucorum imperium instituerunt et Lysander novum ejus genus decemvirale invenit, et Spartanorum et Persarum fortunam bellicam sequutae sint. Itaque operam aliquam collocandam esse existimavi in exponenda satraparum aliorumque in provinciis Persicis magistratum potestate, nec non in perscribendo illo, cuius quidem Lysander fuit auctor, per urbes Graecas in Asia instituto paucorum imperio, quod Graeci nomine *Ἐταιρειῶν* circumscribunt. Finem denique disputationis sum factururus belli dispositione, quam sequutus sum, paucis defensa, eo consilio, ut bellum Spartanorum contra Persas usque ad initium belli Corinthiaci gestam priorem intelligatur esse partem totius belli inter Spartanos et Persas, alteram vero partem initium capere, ubi bellum Corinthiacum ortum sit, paceque Antalcidea finiri.

Cap. I. De fontibus.

Fontes in usum nostrum, etsi non rari, tamen non uberrimi fluunt et quum saepius veris admixta sint falsa et multa ab rerum auctoribus perturbentur et pervertantur, haud facile discernere possis, cui fides sit tribuenda, cui deneganda. Desideramus hic illam Thucydidis concinne scribendi artem atque granditatem, nec non Polybii bene et distincte ratiocinandi ingenium.

Xenophon.

I. Ἑλληνικά.

Xenophontis, Atheniensis, historia Graeca (*Ἑλληνικά*) novem fere et quadraginta annorum spatium septem libris exhibet, inde ab aestate anni CDXI a. Chr., belli Peloponnesiaci XXI, Ol. XCII, 2, usque ad aestatem anni CCCLII a. Chr., Ol. CIV, 2, sive a proelio inter Athenienses et Lacedaemonios ad Abydum commisso, et Alcibiadis ad classem Atheniensium reditu, — quibus rebus enarratis Thucydidis in opere suo subsistit¹), — usque ad pugnam apud Mantineam pugnatum. —

Cui quidem scriptori inre quodam nostro fidem habere possumus, quod ipse rebus gestis diu interfuit²); maxime dubius autem videtur esse in ultimis quinque libris, qui maxime nobis adeundi sunt, quam res non falso quidem, sed fucato in Lacedaemonios vel Agesilaum amoris quodam colore, enarrando aut illustret aut obumbret, tacendo nunc praetermittat nunc minuat³), quamquam interdum Lacedaemoniis iniuste facta opprobrio dat⁴). Res gravioris momenti silentio saepe negliguntur, minoris ad fabulose dicendi genus exornatae longius protrahuntur⁵), quo fit, ut historiarum Hellenicarum „tardior sit et veluti senilis progressus.“

II. Λόγος εἰς Ἀγχιλάων.

Laudatio Agesilai utrum alii cui auctori vindicanda sit, an Xenophonti, non est, quod a nobis diiudicetur; priora enim duo tantum capita alicuius momenti existimanda sunt, cetera meliora atque uberiora in historiis Hellenicis reperiuntur. —

1. Thucydid. VIII. 99. 107. 108.
2. Expeditionis Cyri particeps, dux redeuntium X milium Graecorum (cf. Anab.). Auspiciis Agesilai pugnat in proelio ad Coroneam (cf. Plut. Ages. 18.); antea in Asia in exercitu Lacedaemoniorum militat. (cf. Diod. XIV. 37.)
3. Laconismum vel Agesilaisimum sapiunt loci hi: III. 2, 9. (Fortuna secunda Graecis Asianis per Lacedaemonios parata nimia laude effertur). III. 4, 5. (Vera causa, quod Agesilaus post pugnam ad Dascylium ad mare rediit, minus sinistra sacra fuerunt, quam inopia equitatus et damnum quoddam in pugna illa acceptum.) cf. IV. 2, 18—23. (Proelium in terra Sicyonia commissum tam magno sociis Corinthiacis detrimento non potuit esse, alioquin ad Coroneam tam multas copias non potuerunt habere.)
4. cf. V. 4. VI. 3.
5. cf. III. 1. (Mania cum Pharnabazo de praefectura agens.)
IV. 1. (Connubium inter filiam Spithridatis et Cotyn.)

Plutarchus,

Chaeronensis, vir elegantissimae doctrinae summaque facundia in vitis parallelis illustrium Graecorum et Romanorum ex variis auctoribus collectis⁶⁾ et Lacedaemoniorum actis publicis (*Λακωνικαῖς ἀναγραφαῖς*) permultum contulit ad illustrandas Graecorum et Romanorum historias, quibus res gestae virorum a Plutarcho eximia fide celebratorum sunt implicatae. Plutarchi auctoris adiumento vel maxime utimur certi aliquid de Agesilai, Lysandri, Artaxerxis vitis exploraturi. —

Diodorus Siculus,

Argyrii, Siciliae urbe natus, aequalis Dionysii Halicarnassensis, „bibliothecam“ suam ex plurimorum auctorum scriptis collegit (qui sunt Hecataeus, Hellanicus, Herodotus in historia temporis antiquissimi, recentioris Theopompus, Ephorus, nonnunquam Thucydides, Antiochus Siculus e. a.), quos „temere plerumque nulloque veri et falsi discrimine“ est sequutus. Ex libris eius XL restant integri primi V, tum ab XI usque ad XX libri, ceterorum fragmenta. Praeter vitia supra allata in auctore reprehendendum est, quod de industria repugnat Thucydidi, discrepantiam quaerens nominum, temporum, numeri militum et navium. Qua mala consuetudine infectus, recedit quoque a veritate in aliis rebus narrandis, de quibus Thucydides tacet. Sed non infitandum est, multo magis auctorem ad officia rerum scriptoris redire, ubi ad belli Peloponnesiaci annum XXI narrando pervenit, quare ab eo inde tempore, quum saepe uberior sit, Xenophontem supplet, dum ipse ab eo corrigitur.

Cornelius Nepos

neque in explorandis neque ordinandis rebus assequutus est ullam laudem; sed hunc quoque iuvabit evolvisse propter Agesilai, Epaminondae, Pelopidae vitas, diligentius ab eo illustratas.

In usum universalis rerum, quas exposuimus, cognitionis nobis venit

Zonaras

in iis, quae in annalibus XVIII libris conscriptis de rebus Persicis exhibet. Ad cognitionem antiquorum Graecorum nihil affert, quum eos opere suo, quo continetur historia Iudaeorum et gentium Christianarum, non complectatur.

**De temporum computatione, qua utuntur fontes nostri,
brevis expositio. 7)**

Rerum gestarum tempora, quae enumerant fontes nostri, si ad rationem a Dionysio Exiguo († DLVI) inchoatam et a Beda Venerabili († DCCXXXV) vulgatam revocare volumus, animum intendere debemus ad haec.

Xenophon more Thucydideo⁸⁾ res gestas refert ordinatas ad temporis aestivi et hiberni vicissitudinem, nulla habita annorum secundum Olympiades dispositorum ratione, ita ut annus Xenophonteus vere (mense Martio aut Aprili) incipiens, Olympiadis anno aestate (mense Iunio

6. Theopompo, v. Lys. 12. Agesil. 32; Callisthene, ibid. 34; Theophrasto, v. Lys. 13; Ephoro, ibid. 17.

7. In temporum enumerandorum ratione ea, in quibus Dodwell et Corsini elaboraverunt, haud praetermittenda censuimus.

8. Auctor huius rationis Timaeus, cf. Polyb. XII. 12, 1.

aut Iulio) ineunte, in duas partes inaequales dividatur, quarum prior unius anni Olympiadis minorem partem (inde ab initio anni Xenophontei usque ad initium anni Olympiadis), sequentis anni Olympiadis majorem (inde ab initio anni Olympiadis usque ad initium anni Xenophontei) continet. — Sed neque in tempore vernali et hiberno dirimendo, neque in singulis annis distinguendis tam perspicuus est, quam Thucydides, semper fere verbis bis utens incertis: „sequente anno.“ Praeterea res diversis annis gestas saepe uno anno circumscribit. —

Diodorus tempora ad Olympiadum normam revocavit⁹⁾, sed ita res confundit, ut quae pluribus annis et diversis gesta sint, in unius anni spatium contrahat. —

Plutarchus omnia disposuit ad ordinem, quo subiunguntur egregie a viris per eum celebratis facta¹⁰⁾. —

Quo tempore bellum inter Spartanos et Persas ortum sit, ut definiamus, in solis defectionem, quam mathematici ad diem a. d. XIX. cal. Septbr. a. CCCXCIV a. Chr.¹¹⁾ ferendam esse demonstrant, spectare debemus, veluti in certum rei finem. Eo enim tempore Agesilaus, ex Asia reversus, in Boeotiam pervenit¹²⁾, ut bellum Corinthiacum, quo incipiente prior belli nostri pars finitur, gereret.

Pax Antalcidea, qua totum illud bellum ad exitum est deductum et per Polybium¹³⁾ et Diodorum¹⁴⁾ ad certum tempus revocata est.

Sufficiat denique hic commemorasse, Xenophontis historiarum Hellenicarum annum XI, libro III capite I §§ III—VI inchoatum, primum esse belli nostri, congruens ad Ol. VIC, 4 et VC, 1, ad a. CD a. Chr.; libro V annum Xenophonticum XXII incipi, congruens ad Ol. IIC, 3, ad a. CCCLXXXIX a. Chr.; bellum pace Antalcidea compositum esse anno Xenophontico XXIV, congruente ad Ol. IIC, 2, ad a. CCCLXXXVII a. Chr.¹⁵⁾ —

9. Quo loco in Xenophonte (Hellen. II. 3.) Olympiades enumeratae sunt et qui per belli Peloponnesiaci spatium Athenis archontes, Spartaephoroi fuerint, rem manu aliena interpolatam esse, nemo est qui dubitet.

10. cf. Sievers „Geschichte Griechenlands vom Ende des peloponnesischen Krieges bis zur Schlacht bei Mantinea“. (Kiel. 1840. 1. 8.) Beilage 2. Manso „Sparta“. (Lips. 1800. 5. 8.) Beilage zum 5. und 6. B.

11. v. partic. I. pag. 44 not. 127.

12. Xen. Hell. IV. 3, 10.

13. Polyb. I. 6.

14. Diod. XIV. 110. 117. cf. Sievers ibid.

15. cf. Manso et Sievers l. l.

Cap. II.

De Spartanis et Persis exeunte bello Peloponnesiaco et insequentibus temporibus, — causarum, quibus bellum inter eos exarserit, expositionis pars I. —

Lysander apud Spartanos, Tissaphernes apud Persas domi militiaeque tantum pollebant, ut, quae tum gesta sunt, ad eos potissimum auctores referenda esse videantur. Et profecto, omnes fere civitates una cum clarissimis suis viris et floruisse et collapsas esse historia nos docet. Neque tamen viri illi, quidquid honesti aut mali praeclare fecerint, per se ipsos perfecerunt, sed faciendi potestatem ex universo reipublicae suae statu acceperunt, qui si alius fuisset, aliud debebat fieri. Sic etiam Tissaphernes et Lysander, quantumvis ille ad bellum inter Persas et Lacedaemonios ut oriretur, hic ut maiore vi gereretur, contulerint, nihil, nisi quod iis per vitam et mores civium suorum licitum esset, effecere. Quam ob rem, ut iustas belli illius causas perspiciamus, ad ea nos oportet intendere animum, quae illis temporibus Spartanorum Persarumque vita, qui mores fuerint. Tum demum apparebit, quibus causis commoti consilia sua ceperint, qua via, ut illa assequantur, processerint, qui spei et consilii exitus fuerit.

Sed primum ad Spartanorum et Persarum res externas transeamus.

Graecis ab antiquissimis temporibus magnum in omnes barbaras gentes odium insitum fuisse notum est, (cf. Particula I. Cap. I.) quod, quum bella cum iis orirentur, in dies crescebat. Iam Cyrus, regni Persici conditor, cum gentibus Graecis, Asiam et insulas vicinas incolentibus, armis contendebat¹⁾, et Aeoles, Jones, Dores in suam potestatem redegit. Darius Hystaspis, subiectis gentibus Graecis in utroque Hellesponti littore habitantibus²⁾, maiora molitus est et infestiora omnibus Graecis, quum ad Scythas expugnandos in Europam transiret. Sed tum primum rex Persarum per Miltiadem infestissimum sibi Graecorum animum expertus est³⁾, in primis Atheniensium orta seditione Ionum⁴⁾. Xerxes denique et Artaxerxes Longimanus, quum omnibus Graecis, ut auctoritatem **magni regis** vindicarent, bellum intulissent et devicti abiissent, effecerunt, ut Graeci, clarissimis victoriis reportatis, et communis libertatis, quam defendere possent, conscientia explerentur et desiderio, communem libertatis hostem, ut poenas daret, cogendi. Inde odium Graecorum in Persas maxime auctum est. Huic autem in Persas odio, a Leonida ad Thermopylas ad mortem usque dimicantem in illustri posito monumento, Spartani mox eo consilio moderabantur, ut Persas, quorum auxilio principatu in Graecia potirentur, in societatem vocarent. Iam Pausanias rex Byzantii quum in domini modum inter Graecos se gereret⁵⁾, spes in Persis posuit, quibus adiuvantibus potentiam sibi arrogatam et retineret et confirmaret. Cuius rei memores Spartani, quum alios Graecos, praesertim Athenienses timerent, salutem a Persis exspectare coeperunt.

1. Herod. I. 162 sqq.
2. Idem V. 1. 26.
3. Idem IV. 137 sqq.
4. Idem VI. 1—33.
5. Thucyd. I. 95.

Facto probaverunt hoc exemplum inter bellum Peloponnesiacum. Alcibiades, quo patria neque meliorem neque deteriore civem habuit, Lacedaemonios edocuit, quomodo Graecorum, imperium iis abnegantium, potestatem frangerent, quum iis persuaderet, ut per Chalcideum, classis praefectum, pactionem cum Tissapherne facerent. Itaque Chalcideus, data potestate, cum Tissapherne convenit, ut Dario (Notho) regi, quae fuissent in potestate maiorum eius terrae et urbes (Graecae), manerent subditae, utque rex et Spartani coniunctis copiis bellum gererent, et eosdem socios et hostes haberent⁶).

Quae confirmata sunt secundo foedere, a Tissapherne facto⁷) cum Theramene, classis Peloponnesiorum praefecto, unus tantum vir, Lichas⁸), quem Graecorum utroque foedere a Spartanis proditorum pudebat, a Tissapherne alia ac pacta erant poposcit, eumque hac re iratum a societate cum Lacedaemoniis removit⁹)- Sic evenit, ut Lacedaemonii Tissaphernem, probitate unius viri lacessitum, acerbissimum hostem in posterum haberent. Minime vero Lacedaemonii omnem cum Persis societatem solverunt, sed Pharnabazum, regioni ad Hellespontum sitae praefectum, exstructa in usum eius classe, sibi conciliare studuerunt¹⁰). Quo tempore Alcibiades, Lacedaemoniis iam antea suspectus, sibi et patriae consulens, cum Tissapherne de adiuvandis Atheniensibus egit, eumque suis consiliis, ne Peloponnesiorum opes nimis augetet, sed ut parvo tantum sumptu impenso, Graecos se invicem conterere pateretur, et cum Atheniensibus potius societatem faceret, fide adiunxit¹¹). Tissaphernes autem, malarum artium peritissimus, vera consilia Alcibiadis, Persis adversa, quum perspexisset, maiore studio Peloponnesiis addictum se praebuit¹²), eosque stipendio, quod promiserat, soluto, ut tertium foedus inirent¹³), commovit, quo duobus foederibus superioribus ad fidem revocatis adiecta sunt haec: ut Tissaphernes Lacedaemoniorum et sociorum classem, quo ad id constitutum esset, aleret, donec naves regias (Phoenissas) adduceret, quibus accitis, Spartani aut suis impensis naves suas sustentarent, aut, quantum iis Tissaphernes diutius stipendii praebiturus esset, bello finito redderent; Spartani denique cum sociis et Persae inter se iuncti bellum gerere pergerent, neve cuiquam eorum singularem cum Atheniensibus pacem facere, liceret. — Quam Lacedaemonii cum Persis factam societatem ad id usque tempus servabant, quo, imperio in Graecia iam comparato, arma ipsi Asiae intulerunt. Sed Pharnabazum abhinc praeferebant Tissapherni, qui quum stipendia neque continua, neque integra solveret¹⁴), et naves Phoenissas, quas adductum se abuisse simulavit, retineret¹⁵), fidem suam dubiam reddidit. Pharnabazus contra et tunc et posthac maiorem et verborum et factorum assequutus est fidem¹⁶)

6. Thucyd. VIII. 6. 18. cf. partic. I. pag. 10.

7. Ibid. 37.

8. Ibid. 39.

9. Ibid. 43.

10. Ibid. 39.

11. Ibid. 45. De consiliis Tissaphernis ab Alcibiade perceptis cf. Xen. Hell. I. 5.

12. Ibid. 57.

13. Ibid. 58.

14. Ibid. 78. 83.

15. Ibid. 87.

16. cf. Diod. XIII. 49. 51. Xen. Hell. I. 1. (Pharnabaci erga Lacedaemonios ad Cyzicum devictos officia.)

Lysander demum, vir versutissimus et patientissimus¹⁷⁾, ubi accessit ad rempublicam, societatem cum Persis talem effecit, qua Spartani maximos fructus perciperent. Nam a Persis non solum quae pacta erant, sed maiora impetravit subsidia, quibus potissimum Lacedaemonii, rerum copia Atheniensibus multo superiores facti, victores tandem et Graecorum principes e bello Peloponnesiaco evaserunt.

Sed ad eam nunc transeamus quaestionem, quibus modis Lacedaemonii principatum recuperarint atque in Graecos exercuerint.

Eodem fere tempore*), quo Lysander, filius Aristoclitii, non regia, sed Heraclidarum certe gente natus¹⁸⁾ imperio navali exstructus, Ephesum venit, Cyrus, alter Darii regis filius, in Asiam inferiorem descendit, regionibus maritimis praefectus,¹⁹⁾ et qua esset bona in Lacedaemonios voluntate, Lysandro, quocum Sardibus convenit, patefecit. Lysander, acceptis a Cyro X milibus nummum aureorum (δαρεικῶν)²⁰⁾, nihil antiquius habuit, quam ut Lacedaemoniis classem pararet²¹⁾. Bene enim Lysander coniecit, Athenienses, nisi imperium maritimum perdidissent, non posse devinci. Tunc quidem Lacedaemonii, classe exstructa, Graecos in Asia, quorum in societate multum erat belli discrimen, cogere potuerunt, ut ab Atheniensibus desciscerent, et in ipsorum societatem sese conferrent. Inde a Lacedaemoniis fere semper secundo Marte mari pugnatum est, donec Conon classem eorum ad Cnidum deleverit. Lysander igitur quum opibus Persarum Lacedaemoniis imperium navale praeparavisset, consilium cepit, urbium Asiae Lacedaemoniorum, vel suae ipsius potestati magis adstringendarum. Quod sibi videbatur facillime efficere posse, si populo urbium illarum imperium adimeret. Quam ob rem audacissimos quosque et potentissimos, Ephesum convocatos et societatibus, quas sermone Graeco εταρχειας dicimus, inter se iunctos, singulis urbibus praefecit, ita quidem, ut summam rerum semper penes decem eorum (δεκαταρχίας) esse vellet²²⁾.

Sed de hac re postea accuratius disseremus.

Quae Lacedaemoniorum res, a Lysandro, ad utilitatem eorum accommodatae longe minus prospere duce Callicratida, qui eum secundum leges patriae²³⁾ anno²⁴⁾ sequente**) in

*) a. Chr. 407.

**) a. Chr. 406.

17. Cicero de offic. I. 30, 14.

18. Plutarch. Lys. II.

19. Xen. Hell. I. 4.

20. Ibid. 5. Plut. Lys. 4. Diod. XIII. 70.

21. Ante annum vicesimum belli Peloponnesiaci (a. Chr. 412) Lacedaemonios constat, classem habuisse nullam, et quas naves eo anno suo sumptu aedificarunt et sociorum navibus adiunxerunt, perpauca fuisse (cf. Thucyd. VIII. 6. 7.), easque anno XXII belli (a. Chr. 410) ad Cyzicum, Mindaro duce deletas esse scimus. Pharnabazus, quantum potuit, copiam iis fecit novarum aedificandarum (Xen. Hell. I. i.) Duobus annis post naves Lacedaemoniorum (Xen. Hell. I. 3. 4.) auctae, sed multae earum ab Atheniensibus perditae. Lysander tandem Ephesi naves, aut restaurando aut aedificando, ad numerum (fere XC) — Xen. Hell. I. 5 — iustae classis explevit. —

22. Plut. Lys. 5.

23. cf. Xen. Hell. I. 5, 1. 6, 1. Lex erat, ne quis imperium navale (quod apud reges non esse solebat) ultra certum temporis spatium (quod Lacedaemonii, non certam legem — quam invenimus nusquam, — sed usum sequentes, uno anno determinare solebant), neve saepius quam semel haberet.

24. Xen. Hell. I. 6. Plut. Lys. 5.

imperio exceptit, procedebant, non quia Callicratidas probitate et antiqua morum integritate, qua societatem Lacedaemoniorum cum Persis in perniciem omnium Graecorum factam indignabundus detestabatur et libertatem omnium Graecorum summum bonum iudicabat²⁵), rebus Lacedaemoniorum bene prospiciendis impar fuit, sed quia improbitate et invidia Lysandri, qui proceres urbium et Cyrum sibi magis, quam reipublicae, socios adiunxerat, impeditus est, quominus ingenio suo et viribus uteretur²⁶). Ceterum mox in proelio navali ad Arginussas insulas occisus est²⁷).

Lysander cum Araco duce, nomine legati (subpraefecti), re imperator²⁸), iterum ad classem missus est, minus sociis Asianis et Cyro petentibus, quam ex ipsa Lacedaemoniorum voluntate, quibus neminem, nisi Lysandrum, tam longum tamque magnum bellum prospere posse finire, fuit persuasum.

Ad eam quidem spem Lysander haud mediocriter respondit; maximam autem rei gloriam sibi ipsi vindicavit. Nam quum, familiarissime a Cyro exceptus copiaque belli abunde extructus²⁹), et a magistratibus urbium, qui imperium suum ei acceptum ferebant, summis honoribus auctus, victoriam ad flumen Aegos magis pravitate Atheniensium et bona sua fortuna, quam ingenio suo et fortitudine reportavisset³⁰), brevi tempore totam Atheniensium rempublicam fere delevit atque evertit³¹). Tum autem Lysander et crudelitate in eos, qui ad partes Lacedaemoniorum non stabant³²), et superbia in socios³³), omnem excessit modum, adeo ut Eteocli cuidam, duos Lysandros a Graecia ferri non posse³⁴), dicenti, et socii et ipsi Lacedaemonii mox assentirentur. Lacedaemoniorum reges in primis, quorum ille auctoritatem fere extinxit, magnam in eum conceperunt invidiam, timore affecti, ne, qualem se iam gereret³⁵), Graeciae dominus re vera etiam fieret. Qua re, regibus potissimum auctoribus, Lacedaemoniis placuit, irritum facere quod Lysander Sesti³⁶) fecerat, illumque a sociis et Pharnabazo accusatum, quod bona ipsorum violasset, domum revocare atque in ius postulare³⁷). Nulla autem poena affectus, per breve tantum temporis spatium postea procul a republica vixisse videtur^a), dum reges Lacedaemoniorum instituta eius, quantum potuerunt, tollere conati sunt. Itaque magistra-

25. Plut. *Ibid.* 6. cf. Diod. XIII. 76.

26. cf. l. c.

27. Xen. *Hell.* I. 6, 24—36. Diod. XIII. 97 sqq. Plut. *Lys.* 7.

28. Xen. *Hell.* II. 1.

29. Xen. *Hell.* II. 1, 11—14. Diod. XIII. 104. Plut. *Lys.* 9.

30. Xen. *Hell.* II. 1, 18 sqq. Plut. *Lys.* 9—12. Diod. XIII. 105. 106.

31. Xen. *ibid.* 2. 3. Plut. *ibid.* 13. 14. 15. Diod. XIII. 107.

32. Xen. *Hell.* II. 3, 3. 6. Plut. *Lys.* 14. 19.

33. Plut. *Lys.* 18. 19.

34. *Id.* l. c.

35. *Id.* l. c. 21.

36. *Ibid.* 14.

37. Plut. *Lys.* 20.

a. Iter ad templum Ammonis Lysander non illo tempore fecit, sed multo post, quum regni commutandi consilium cepisset. cf. Plut. l. c. et Diod. XIV. 13.

tus, quos Lysander instituerat, e multis Asiae urbibus expelluntur et imperium populo redditur^b). Et Pausanias etiam rex Lysandri consilium, ut triginta tyrannos, ab Atheniensibus Thrasybulo duce eiectos, ad imperium reduceret, irritum reddidit³⁸), et populo potestatem fecit, reipublicae ad similitudinem legum Solonis restituendae. Sed Pausanias apud suos nullam rei gratiam assequutus est³⁹). Lysander tamen, etsi a Lacedaemoniis, quod opes reipublicae augere maxime studisset, collaudatus, a negotiis sese recepit, aliud ambitionis satiandae tempus exspectans^c).

Itaque Lacedaemonii subsidiis Persarum adiuti, principatum totius Graeciae recuperarunt. Defecerant enim Persae, Lacedaemoniis faventes, ab Alcibiadis consilio⁴⁰), ne ullam civitatem Graecam adeo adiuvarent, ut aliis mari superior esset, utque Lacedaemonios quam primum ex Asia pellerent. Cuius rei Persas non multo post maxime poenituit.

Sed iam exponendum videtur, qua ratione Lacedaemonii principatu inter Graecos sint usu. Lacedaemoniis belli (Peloponnesiaci) causam longe aliam vel ab initio (belli) fuisse, vel in temporis decursu factam esse, quam ut Graecas civitates a molesto Atheniensium imperio liberarent, Graeci quum iam intellexissent, tum rebus, quae sequebantur, satis sunt edocti. Verum enimvero, suo ipsorum tantum commodo prospicientes, Lacedaemonii dimicabant; sin minus, cur tandem, Atheniensium viribus confectis, a bello non abstinuerunt? Duas potissimum ab eo tempore Lacedaemonii belli habuere causas, primam, ut iniurias antea sibi illatas ulciscerentur, alteram, ut aut novos socios in suam potestatem redigerent, aut, quos iam haberent, in maiorem subditorum fidem atque obedientiam cogerent. Atque illud primum mox experti sunt Elei⁴¹), nec minus Messenii, Cephallenia et Naupacto a Lacedaemoniis expulsi⁴²); alterum hoc complures civitates: et Byzantii per Clearchum⁴³), et Milesii, Samii alique per Lysandrum⁴⁴). Quare Graeci post bellum Peloponnesiacum Lacedaemoniis, tanquam tutoribus, obediens erant, non quia, ut Aristidis tempore in Atheniensibus, in iis spem salutis collocabant, sed quia nemo Graecos a Lacedaemoniorum iniuriis potuit defendere, ita ut, ne graviora paterentur, timore adacti iugum a Lacedaemoniis impositum ferrent. Lacedaemonii quidem, si voluissent, Graecos in Asia et insulis ab omni iniuria defendere potuissent, classe enim, a Lysandro parata^d), satis magna utebantur; sed ipsum classis Lacedaemoniorum praesidium socii,

b. Lacedaemoniorum praefecti in urbibus Asiae (*ἀρμοστῆς*) non videntur esse revocati, priusquam Persae id non postularunt, et tum multi in imperio manserunt, quibus postea Dercyllidas et Agesilaus occurrunt. cf. Sievers, cap. II.

38. Xen. Hell. II. 4, 2. 3. 29—36. Diod. XIV. 32. Cora. Nep. Thrasyb. cf. Plut. Lys. 21.

39. Plut. l. c.

c. Virum tanta animi strenuitate otiose vixisse, putare non possumus, eoque minus, quum rebus interea a Lacedaemoniis gestis consilia Lysandri inesse videantur; sed munere publico usque ad a. Chr. CCCXCVII vacabat.

40. Thucyd. VIII. 45. 46.

41. Xen. Hell. III. 2, 22—31. Diod. XIV. 17. 34.

42. Diod. l. c. Xenophon hoc Lacedaemoniorum facinus silentio praetermittit.

43. Diod. XIV. 12.

44. Xen. Hell. II. 3, 36. Plut. Lys. 14. 19.

d. Lysander, quum post victoriam ad flumen Aegos reportatam Athenas obsideret, classem CL navium habuit (cf. Xen. Hell. II. 2. Diod. XIV. 39). Quas tum Lysander naves domum duxerat, eas

quum ad eam sustentandam tributum, ad X milia talentum per annum auctum solvere deberent⁴⁵), maximo pretio emtum graviter sentiebant. Nihilominus Lacedaemonii Graecae libertatis vindices se gerebant, ita ut inde ab illo tempore unius cuiusque belli, quod gesturi erant, Graecarum civitatum libertatem, quae tuenda esset, causam esse simularent⁴⁶). Quo praetextu uti coeperant, quum Eleis bellum inferrent⁴⁷), atque postea utebantur, quum facta pace Antalcidea, Graecos proderent. Iam itaque quominus quis postularet, ut ipsi Lacedaemonii quos subegissent Graecos (Messeniae urbes) liberos esse sinerent, aut metu deterritus aut, si postulavit⁴⁸), vi oppressus est. Maximam autem Lacedaemonii Graecis in Asia intulerunt iniuriam, quum urbibus eorum, populari imperio cum paucorum commutato, audacissimum, ne dicamus pessimum quemque suorum praeficerent.⁴⁹)

Sed Lacedaemoniorum etiam respublica maximam commutationem experta erat, cuius rei praecipuam causam in sublata civium aequalitate ponimus.⁵⁰) Summa rerum maximam partem ad ephoros translata erat, regia potestas valde comminuta, patrum et concionum auctoritas fere sublata. Reges enim nihil, nisi Ephoris adiuvantibus, potuerunt efficere. Quod quum etiam Agesilaus sciret,⁵¹) potentissimus inter omnes Lacedaemoniorum reges, nunquam ab obsequio et verecundia erga ephoros deflexit, immo vero, quanto opes eius crescerent et gloria, tanto magis speciem obedientiae in illos augere nitebatur; et eam laudem, quam assequutus est apud Xenophontem et Plutarchum,⁵²) quod vel altissima consilia officiis boni civis et patriae legibus obtemperantis postposuisset, Agesilai non tam modestiae, quam prudentiae censemus tribuendam, quum ephorum auctoritatem, quam non potuit frangere, eorum erga se studio adiungeret. Militare etiam regum imperium, quo iis Lyncurgus aliquam auctoritatem iniunxit, ab ephoris minutum est, quum et duo ex iis⁵³) reges contra hostes proficiscentes

primas Lacedaemonii habuerunt proprias, et numero auxerunt, quum non multo post nonnullas Eleis ademissent (Xen. Hell. III. 2, 30). Quibus navibus ante illud tempus Lysander et alii duces praefuerant, eae aut sociorum, aut Persarum fuerunt.

45. Diod. XIV. 10.

46. cf. Sievers cap. I.

47. Xen. Hell. III. 2, 22. Diod. XIV. 17.

48. cf. Diod. I. c.

49. cf. Sievers I. c.

50. cf. Manso, pars II. tom. III. p. 386: „Die Umwandlung der (spartan.) Verfassung erklärt sich erst vollständig aus dem Umstande, daß die von Lyncurg beabsichtigte Gleichheit der Bürger immer mehr verloren ging, der Abstand zwischen vornehmen und geringen, geehrten und minder geehrten Geschlechtern im Laufe der Zeit immer sichtbarer ward, und die Ephoren, indem sie sich an die weniger Geachteten schlossen, und deren Vertheidigung gegen die Angeesehenen übernahmen, allmählig einer, durch Aristokratie geschaffenen und aufrecht erhaltenen, Oligarchie eine aus der Demokratie sich entwickelnde und durch sie begünstigte entgegensetzten, und so den Grund zu einer Staatsveränderung legten, die uns ewig befremden wird, weil wir sie nicht sich bilden, sondern als schon völlig gebildet hervortreten sehen.“

51. Plut. Ages. 4, 2, 3.

52. Xen. Ages. 1, 36. Plut. Ages. 15, 4.

53. Xen. Hell. II. 4, 36. Plut. Ages. 15, 2.

comitarentur et alii decem⁵⁴) vel triginta⁵⁵) comites, quibus (*συμβούλοις*) in consilio uterentur, illis adderentur. Praeterea ephori reges ab exercitu revocabant, in iudicium arcessebant et supplicio afficiebant⁵⁶).

Sed non solum ephori multum obstabant regiae potestati, sed etiam alii opibus inter Lacedaemonios excellentes viri, imprimis imperatores, qui, quum imperium navale non soleret esse penes reges⁵⁷), et belli maritimi gloriam sibi ipsis vindicabant et terrestri quoque bello, ex quo potissimum in remotioribus terris pugnari coeptum est, maiorem gloriam assequuti sunt, quam reges domi, vel in Graeciae certe finibus remanentes.

Triginta senatorum per totum belli Peloponnesiaci tempus nulla, concionum rara fit mentio⁵⁸), et in iis quidem res ab ephoris magis, quam a populo decernebantur. Cum ephoris denique de bello et pace agebatur⁵⁹), quare foedera, litteris publicis mandata, aut regum et ephorum⁶⁰), aut solis ephorum nominibus⁶¹) obsignata reperiuntur.

Postremo cunctae Lacedaemoniorum res commutatae erant.

Certamen, quod inter nobiles gentes (*Σπαρτιάταις*), omnibus magistratibus potitas, et plebem (*Λακεδαιμονίους — Περιοίκους*), a republica remotam, et servos (*Ειλωτάς*) iam ante Lycurgum exstitisse, dehinc continuo flagravisse constat, posterioribus temporibus auctum est certamine inter nobiles ipsos exorto, quo administrandae reipublicae honores in paucos, qui dignitate et opibus praepollebant, transierunt. Id paucorum imperium⁶²) ephori, qui unus magistratus de plebe creabatur, aut, quum regia potestas coërcenda videretur, adiuvabant, aut, quum hi pauci nimia potentia efferi viderentur, eo modo coërcabant, ut alteram Spartiarum, eandemque maiorem partem, quamvis magistratum expertem, rerum tamen copia abundantem, sibi adiungerent, eorumque auxilio magistratum auctoritatem minuerent, suam ipsorum contra augerent. Tali modo una pars Spartiarum exstitit, quae, etsi magistratibus non fungeretur, plurimum tamen, opera ephorum adiuta, in republica pollebat⁶³). Cuius partis gratiam et operam cupidissimus quisque gloriae et novarum rerum captabat, qua impetrata, etsi consilium non perliceret, supplicium certe effugit, id quod Lysandro accidit, qui, quod vates templi Ammonii, ut Lacedaemoniis ad regnum commutandum persuaderent, pecunia corrumpere conatus esset, accusatus, impunitus e iudicio discessit⁶⁴).

Itaque iam in ipsis Spartiatis permagna inerat discordiarum atque periculi causa. Ad

54. Thucyd. V. 63.

55. Xen. Hell. III. 4. Plut. Ages. 6, 2. Lys. 23.

56. cf. Xen. Hell. IV. 2. Ages. 1, 36. Plut. Ages. 15, 2. cf. Manso. l. c. p. 377.

57. Uni Agesilao imperium classis mandatur.

58. cf. Manso, l. c. sq. Plut. Ages. 6, 2.

59. Thucyd. I. 85. 86. 87. V. 36. VIII. 12. Xen. Hell. II. 2, 11.

60. Thuc. V. 23. 24.

61. Thuc. V. 18. 19. (Formula pacis Niciae.)

62. Apud Thucydidem (V. 15) mentio facta *Σπαρτιατῶν πρώτων*, quos ille, quum magistratus gerent, discernere videtur a *Σπαρτιάταις* (V. 34), magistratum expertibus.

63. cf. partic. I. cap. I. pag. XI. Thucyd. V. 24. Foedus inter Athenienses et Lacedaemonios a regibus, ab uno ephoro et aliis quatuordecim Spartanis obsignatum, qui nullum magistratum gesserunt.

64. cf. Plut. Lys. 25.

illos cetera et Lacedaemoniorum et servorum multitudo accessit, et quicumque non erant ingenuorum civium in numero (*Νεοδαμώδεις* et *Υπομειόνες*), qui natura sua novarum rerum erant studiosissimi. Iis omnibus haud dubie nitebatur Cinadon, caput coniurationis, Agesilao primo anno regnante factae. Qua coniuratione, breviter tantum a Xenophonte commemorata⁶⁵) satis manifestum est, quanta illis iam temporibus in Lacedaemonios invaserit gloriae cupiditas. Auctor enim coniurationis, causam interrogatus, nemini se, inquit, in republica velle postponi. Spartanarum illa supra allata gentium imminutione subinde factum est, ut Lacedaemoniorum, vel etiam servorum nonnulli inter militum et urbium praefectos reciperentur⁶⁶). Inter milites enim antiquum Spartanorum robur continuis bellis maxime absumptum erat. Sic bellis post Peloponnesiacum gestis peditum numerum multo magis expletum videmus Lacedaemoniis, servis, sociis, quam Spartanis ingenuis, qui perpauca militabant⁶⁷). Ea de causa, quum illi exercitationibus bellicis, quibus Spartani ad militiam perferendam excolebantur, carerent, spes victoriae valde minuta erat.

Et morum denique maxima perversitas et corruptela immigraverat. Antiquae parsimoniae honos cesserat avaritiae et luxuriae. Vitiorum cum variae essent causae, tum in primis mala cum Persis, libidini inservientibus, ignavia infectis, consuetudo, nec non sero ac subito per Lysandrum sub finem belli Peloponnesiaci invectae divitiae et, quum antea (deficientibus omnino divitiis) iis sapienter utendi prorsus nullus fuisset locus, brevi nimium auctae⁶⁸). Seniores quidem cives, severiori maiorum disciplinae dediti et antiquae rerum, non frugali sed delicatiori vitae usui inservientium, inopiae amantissimus quisque, haud mediocriter magna auri argentique copia perterriti, quam primum potuerunt, lege promulgata cavendum esse putarunt, ne divitiarum mala, a quibus iam respublica non posset servari, privatam certe vitam corrumperent.

Sed hoc remedio tantum absuit, ut mala amoverentur, ut, quum aurum et argentum, civibus interdictum, omnium ante oculos in usu esset reipublicae, rei tam pretiosae cupido magis etiam excitaretur⁶⁹). Iam Gylippus avaritiae dedit poenas⁷⁰); neque Agesilao, aetate iam profecta, quum mercede accepta Tacho et Nectanebo, Aegyptiorum regibus, auxilium tulisset, quamquam etiam magno suo in Persas odio ad eam expeditionem commotus erat, avaritiae famam videtur effugisse⁷¹).

65. Hellen. III. 3.

66. Xen. Hell. III. 5, 13. Thucyd. VIII. 22.

67. Xen. Hell. III. 1, 4. et Diod. XIV. 36. 37. (Triginta tantum regis comites e numero Spartiatarum in exercitu Agesilai fuerunt.) cf. Xen. ibid. III. 4, 2. Plut. Ages. 6, 2. Xen. ibid. V. 3, 9. VI. 1.

68. Opes a Lysandro per Gylippum Lacedaemonem missae: quadringenta septuaginta talenta, i. e. plus quinquies centena milia thalerorum (cf. Xen. Hell. II. 3. Plut. Lys. 16.); praeterea multae coronae aureae, et quae alia Lysander a sociis acceperat dona.

69. Plut. Lys. 17, qui hanc rem acutissimo iudicio illustrat. Lacedaemonii, antequam hasce a Lysandro acceperant divitias, neque omnino rerum inopia premebantur, neque ullam aliam, nisi e ferro cusam pecuniam habebant, id quod repugnaret magnae mulctae, qua Agidem regem affectum esse, legimus apud Thucydidem (V. 63). Hoc unum tantum apertum est, neque ullum reipublicae antea fuisse aerarium, neque singulis quibusdam civibus aliquanti numeri divitias: cf. Manso, pars II. tom. III. p. 372.

70. Plut. Lys. 16. 17.

71. cf. Plut. Ages. 35. 36.

Lacedaemonii igitur, quum rebus plerisque tantopere commutatis et vitae cultum et leges adaequare deberent, animi quadam sua inveteratae vivendi sentiendique rationis tenacitate atque inertia quemlibet progressum aspernantes, ea et coërcebant et opprimebant, quae iam neque coërceci neque opprimi potuerunt. Itaque fieri non potuit, quin nova fuerint periculosa. Evanuerat antiqua virtus, abolitae erant bonae artes; mansit prava antiquitatis aemulatio, falsa magnitudinis, tanquam sempiternae, opinio; exstiterunt libidines, malarum artium et in socios et in hostes ingenium, effrenata superbia, vitiosum novarum rerum studium.

Quibus omnibus domi tantopere commutatis Lacedaemonios post bellum Peloponnesiacum non minus, quam rebus externis ad nova bella excitari, vel potuisse vel debuisse consentaneum est.

Primum ex illo tempore bellum memoria dignum a Lacedaemoniis gestum est cum Persis. Lacedaemonii odium illud, quod omnibus Graecis in Persas commune fuisse, satis nobis exposuisse videmur (v. Partic. I. pag. 10), societate cum Persis iuncta dissimulaverunt quidem, neque tamen aut deposuerunt aut remiserunt; immo vero quanto magis res suas cum iis communicabant, tanto citius ad apertum bellum progressi sunt.

Sed Persarum etiam res domesticae maxime commutatae admodum effecerunt, ut bellum cum Lacedaemoniis exoriretur.

Eas quidem Persarum res domesticas in **satraparum** potissimum et aliorum in provinciis magistratuum imperio perspicere liceat, quod quam male fuerit exercitatum, aliquatenus adumbrare, nobis proposuimus.

Cap. III.

De Persarum satrapis aliisque in provinciis magistratibus, — causarum, quibus bellum inter Spartanos et Persas exarserit, expositionis pars II. —

Primum Darius Hystaspis regnum Persarum in viginti provincias sive satrapias descripsit⁷²), quarum praefectos, satrapas, civilem potestatem sapienter seiungens a militari imperio, singulosque satrapas singulis tantum neque unquam pluribus simul satrapiis praeponens, impedivit, quominus altius efferrentur. Praecipua eorum cura erat, ut vectigalia exigerent atque ad regem contribuerent. Magis magisque deinde regibus effeminatis, crescebat indies satraparum potentia, nullo alio officio obstructorum, quam ut tributum regibus tempore constituto penderent. Repetundis, quarum in regno tam late propagato⁷³) tantaque regum voluptati inservientium socordia, nullum erat impedimentum, opes satraparum mox ampliores quam regum redditae sunt, quibus cuiuscunque generis apparatus domesticum sustentabant, regio haud dissimilem. Sive ex voluntate regis, qui id vetare etiamsi potuisset, non auderet, sive rege invito, satrapae Artaxerxis Longimani temporibus magna manu satellitum sese circumdabant, adeo ut

72. Herod. III. 89.

73. cf. Herod. I. I. Zonaras III. pag. 168.

non aliter ac rex domesticos et privatos suos quisque milites haberent. Ubi primum eo usque potentiae perventum est, facile erat, maiorem etiam et appetere et assequi. Iam eodem Artaxerxe regnante in sua cuique provincia satrapae potestas civilis una cum imperio militari tradita est. Neque iam Dario II. (Notho) rege is modus in augenda satraparum potentia constitit, sed singulis tum complures provinciae gubernandae evenerunt. Quocirca quae tum res a Persis gestae sunt, magis per satrapas gerebantur, quam per reges. Quod praesertim bello Peloponnesiaco accidisse videmus, quum Tissaphernes et Pharnabazus de consiliis ineundis, de foederibus iungendis ad regem aut raro referrent, aut, si retulissent, pro suo uterque commodo rem regi modo suaderent, modo dissuaderent. Nihil iam erat in rege, quod satrapae sibi metuerent; metu autem adempto, omnis erga regem — ut in regnis ad arbitrium unius, cum servitio omnium moderatis fieri solet — verecundia et pietas cessit. Quare motus civiles a satrapis, ut ipsi regno potirentur, concitati indies increbuerunt. Ad comprimendos autem alios satrapas necesse erat, alii a rege opibus auferentur, quo modo tantum abfuit, ut causae seditionum exstingerentur, ut in alium locum duplicatae transferrentur.⁷⁴⁾ Tota regum auctoritas inde iam in eo posita erat, utrum ambitiosos suos et seditiosos satrapas coercere possent, an ipsi illis obsequi et vel poenas dare cogere. Omnia autem regni quasi fundamenta satrapae, sibi invicem et invidentes et invidi, non tantum certaminibus inter se consertis subverterunt, verum factionibus etiam, quas sibi quisque in provinciis et in regia sede congregabat. Id utrumque enim satrapae sibi semper debebant cavere, primum ne a rege, cui videlicet semper erant suspecti, vel provinciis vel etiam vita privarentur, tum ne quis eos ex collegis aut dolo aut vi circumveniret. Haec quidem pericula ut a se defenderent, nihil faciebant reliqui: societates iungebant modo cum amicis Persarum, modo cum eorum hostibus.

Quorum proximi, qui iam saepissime aut societate aut bello cum Persis egerant, fuere Graeci. Quomodo Tissaphernes et Pharnabazus, maximo inter se odio flagrantibus, pro suo uterque commodo in societate cum Lacedaemoniis facta sese gesserint, quatenus ad rem pertinet, supra (cap. II.) commemoravimus; quam male inimicitias Tissaphernis et Pharnabazi postea res Persarum sint gestae in ipso inter Spartanos et Persas bello enarrando (cf. particula I) exposuimus. Ceterum satrapae, ut erant inter se et in regem perfidi, ita etiam in societate cum Graecis facta dubia semper erant fide ac fallaci.

Sed Graecorum Persis proximi erant incolae urbium Aeolicarum, Doricarum. Qui, quum in finibus ipsorum saepissime pugnaretur, belli calamitatibus maxime erant expositi; sed iugum servitutis, a Cyro iis impositum, a Dario post bellum Ionicum ingravatum, postea, quum Satrapae inter se ipsos vel cum rege certarent, multo levius factum est. Nam et satrapae et reges iis parcere debebant, ut aliquando, si res ferret, auxilio eorum uterentur. Atque adeo servitutis iugum iis relaxatum est, ut interdum libertatem reciperent.⁷⁵⁾ Quare gentes Graecae in Asia, quamquam tyrannos, quos iis Persae praefecerant, communi omnibus Graecis libertatem amantibus odio incitati persequerentur⁷⁶⁾, non habebant, quod Persarum dominatum

74. cf. Thucyd. VIII. 5. 28, ubi exponitur quo pretio Tissaphernes, postquam Pissuthnem et Amorgem oppressit, affectus sit.

75. Herod. VI. 42. 43. Mardonius per urbes Jonicas, sublatis tyrannis, rerum summam populo reddidit.

76. cf. Herod. V. 38. Mityleni lapidibus obruunt C o ñ n tyrannum.

nimis aegre ferrent, vel aegrius, quam aut Atheniensium, aut post bellum Peloponnesiacum Spartanorum principatum.

Verum hac in varios eosque diversissimos dominos obedientia, qua Graeci Asiani modo Persis et inter eos variis satrapis, modo Atheniensibus, modo Spartanis addicti erant, mores maxime sunt corrupti, quum fides eorum in unum dominum servata a ceteris veluti perfidia animadverteretur, qua re denique et Persas et Athenienses vel Spartanos, prout res et commodum suadebat, prodiderunt.

Provinciae autem satraparum in Asia minore, quibus Graecae etiam urbes continebantur, quasque, ut satraparum imperium exponamus, prae ceteris provinciis Persarum (a rebus quas enarrare suscepimus remotioribus) fere solas accuratius pertractare mihi liceat, fuerunt quatuor a Dario I. institutae, quarum

- prima continuit Iones, Magnetes, Aeoles, Cares, Lycios, Milyos, Pamphylios;
- secunda Mysos, Lydos, Lasonios, Cabalios, Hygennos;
- tertia Hellespontios, Phryges, Thraces (Asianos), Paphlagonos, Mariandynos, Syros;
- quarta Cilices.⁷⁷⁾

Sed is terrarum quo singulae provinciae conficiebantur complexus non mansit idem, quum reges satrapis quibusdam, bene de se meritis, novas provincias praeter eas, quas iam haberent, administrandas mandarent, aliis contra quas iis antea mandavissent provincias aut minuerent aut omnes adimerent. Graecorum urbes, secundum enumerationem illam Herodoti inter se disiunctas, duobus tribusve satrapis subiectas videmus, quorum potentissimi nobis sub finem belli Peloponnesiaci et postea occurrunt Tissaphernes et Pharnabazus. Qui quum satraparum regimen in utramque, et bonam et malam, partem multis factis illustrassent, eos tantum, sui generis tanquam typum, respiciamus oportere videtur, si, quod omnino de satrapis memoria dignum est, animo percipere volumus.

Tissaphernes igitur, dux Persarum, primum ad gloriam gradum Dario II. rege fecit, quum Pissuthnem, Darii Hystaspis filium⁷⁸⁾, Lydiae praefectum, qui in regem seditionem excitaverat, oppressisset, cuius facti in gratiam satrapiam illius pretio accepit⁷⁹⁾. Non multo post ob victoriam de Amorge, Pissuthnis filio naturali, seditioso Cariae satrapa, Spartanorum auxilio reportatam⁸⁰⁾ Tissaphernes latius propagatis praefecturae finibus donatus est, ita ut Lydia cum maritimis Ioniae regionibus et Caria ei subiectae essent. Caput eius satrapiae erant Sardes⁸¹⁾. Qui ambitus praefecturae Tissaphernis mansit idem usque ad Cyri in Asiam minorem adventum. Saepe autem ei cum Atheniensibus pugnandum erat⁸²⁾, qui eum, urbes Ionicas aggredientes, timore affecerunt, ne, si illas expugnassent, prohiberetur, quominus debitum regi provinciae suae tributum persolveret. Quare eam iniit cum Lacedaemoniis so-

77. Herod. III. 90.

78. De Pissuthne cf. Thucyd. I. 115. III. 31. 34. VIII. 5. cf. Manso IV additam. ad libr. V et VI.

79. Thucydides (l. c.) Tissaphernis satrapiam regione maritima illo tempore circumscriptam definit (*τῶν κάρω*), sed posthaec demum, notandum est, illam ita esse extensam, ut totam eam regionem maritimam contineret.

80. Thucyd. l. c. et 28.

81. cf. Xen. Hell. I. 1, 9.

82. Thucyd. VII. 5 sqq.

cietatem, quam supra (Cap. II.) commemoravimus. Lacedaemonii vero postquam intellexerunt, nullam esse in hoc homine fidem⁸³), societatem Tissaphernis cum Pharnabazi commutaverunt, illumque etiam armis aggressi sunt opem ferentes Milesiis atque aliis Graecis Asianis ad eiciendos milites, quos ille in urbibus eorum praesidio reliquerat⁸⁴). Inde iam primus omnium satraparum Tissaphernes, persuadente Alcibiade, apud animum suum constituit omnemque futurae vitae curam et laborem in eo perficiendo consumsit, ut Graecos, quum eos nimis pertimesceret, quam ut armis cum iis decertare auderet, Graecorum auxilio perderet. Itaque discordiam, qua Graeci iam inter se flagrabant, alere coepit, quum modo hos modo illos, quantum opus esset, ut ad semet ipsos inter se conficiendos satis valerent, et pecuniis et copiis adiuvaret, id tempus exspectans, quo Graeci, de salute sua ab ipsis ferenda desperavissent, arbitrum eum et quasi medicum accirent. Et profecto Tissaphernes, quamquam morte immatura abreptus est, opus inceptum eo usque perduxit, ut omnium mortalium infestissimus Graeco nomini non solum a Lacedaemoniis, sed ab omnibus Graecis iudicaretur.⁸⁵)

Sed Pharnabazum Tissaphernes, ex quo illum sibi a Lacedaemoniis antepositum vidit, maximo odio persequutus est. Satrapia autem Pharnabazi omnes fere in Asia ad Hellespontum et ad inferiorem partem ponti Euxini sitas regiones exhibuit, quae erant Bithynia, Mysia cum urbibus Aeolicis, Phrygia⁸⁶); cuius satrapiae Dascylium, urbs Bithyniae, caput erat.⁸⁷) Saepe tamen invenimus Pharnabazi satrapiam a scriptoribus uno nomine vel Aeolidis, vel terrarum Hellespontiarum insignitam.⁸⁸) Pharnabazus igitur quum, fide erga Lacedaemonios religiosius servata, rebus Persarum melius provideret, mox apud regem plus valuit, quam Tissaphernes. Quae Tissaphernis imminuta auctoritas a Cyro, Darii regis filio, in Asiam minorem misso,⁸⁹) fere omnis exstincta est. Cyrus enim non solum et patris et sua ipsius voluntate Lacedaemonios omni belli copia instruxit, sed etiam belli in Tissaphernem faciendi potestatem habuit. Quare Tissaphernes eodem odio, quo iam affectus erat in Pharnabazum, Cyrum quoque persequutus est. Et eum quidem non multo post, ut poenas daret, coëgit, (cf. Part. I. pag. XII.) quum Artaxerxem II. regem certiozem fecisset de bello, quod Cyrus frater in illum susceperat. Quo nuntio accepto, Artaxerxes ad tempus copiis instructis Cyro obviam ire et in proelio

83. cf. cap. II.

84. Thucyd. VIII. 84. 108. 109.

85. Plut. Ages. 10, 13. Artaxerx. 23.

86. Xen. anab. fin. Hellen. III. 1, 8. 2, 1. 4, 26. IV. 1, 1. 15. Thucyd. VIII. 5. (Phrygia, quam Pharnabazus imperio tenebat, erat Phrygia minor, Hellespontum versus spectans. Bithyniae gentes, soluto tantum quodam vinculo, Persis obnoxiae erant.

87. Xen. Hell. IV. 1, 1. 15.

88. cf. Xen. Hell. III. 1, 10. Thucyd. VIII. 6. Sievers additam. I. (In distinguendis Asiae inferioris satrapiis Graecis proxima erat, quam sequerentur, ratio, ut eas, prout a Graecis vel huius vel illius stirpis potissimum incoherentur, describerent ac comprehenderent. Itaque Graeci satrapiam Pharnabazi, Aeoles quoque amplexam, nomine Aeoliae distinguebant a satrapia Tissaphernis, quae Iones quoque amplexa Ioniae nomine a Graecis definiebatur, quamquam et complures urbes Doricas exhibebat). cf. Partic. I. pag. 13 et pag. 19 not. 25.

89. Xen. Hell. I. 4, 2. 3. Anab. I. 9. cf. 6—8. Plut. Lys. 4.

ad Cunaxam commisso eum interficere potuit⁹⁰). Artaxerxes vero tantae fidei non immemor, Tissapherni quas ille antea et quas Cyrus imperio tenuerat terras pretio dedit administrandas. Sed ut Pharnabazum perderet, Tissapherni non contigit; immo vero ipse, Pharnabazo et Parysatide, Cyri matre, quae ut filium ulcisceretur, regem ad saevendum in omnes Cyri adversarios impulit, auctoribus, (cf. Partic. I. pag. 13) capitis condemnatus est⁹¹).

Postquam igitur Tissaphernes in Asia inferiore summum imperium recuperavit, Graecis Asianis, inprimis Ionibus, satrapiae suae addictis, qui Cyrum maximo cum studio exceperant et, quum rex in eo oppugnando occupatus⁹²) esset, amissam libertatem sibi restituerant, gravior fortuna, quam antea perpessi erant, imminabat. Sed qui illo tempore fuerit universus Graecorum Asianorum status, postea exponemus. Nunc iam de potestate, qua fuerint praefecti Persarum inter se diversi, pauca disserere liceat.

Praefecti Persarum enim non solum, ut supra commemoravimus, diversis temporibus, sed etiam singuli inter se diversa utebantur potestate. Quam potestatis diversitatem diversis praefectorum nominibus apud scriptores indicatam invenimus.

Discernuntur quidem inter praefectos *σατραπῆς*, *ὑπαρχος*, *κάρανος*, et ubi de praefectis urbium Graecarum sermo est, *τύραννος*⁹³), *ἐπίτροπος*.

Satrapae primo e propinquis regis, e gente Achaemenidarum, eligebantur, quorum in numero fuit Artaphernes,⁹⁴) Darii I. frater, satrapes Sardium (Lydiae), posthac in eadem satrapia Pissuthnes, Darii I. filius.⁹⁵) Tum autem alii etiam viri, qui aut virtute militari excellerent, aut alio quodam modo de rege bene essent meriti, provinciis a rege praeficiebantur.

Praefecti nomine *ὑπάρχων* praediti tanquam subpraefectorum, nescio qua obedientia adstricti erant satrapis. Sed a scriptoribus officia *σατραπῶν* et *ὑπάρχων* saepe inter se confunduntur, ita ut, ubi desideramus nomen *σατραπῶν*, nomen *ὑπάρχων* inveniamus. Tali modo Artaphernes *ὑπαρχος* appellatur, quamvis integrum plenumque satrapae imperium teneret⁹⁶). Nominem Aeolidis contra, quasi totam satrapiam comprehenderet, Pharnabazi praefectura designatur, quum Aeolis a Pharnabazo, cuius satrapia eam tanquam partem tantum in se continebat, primum Zeni cuidam, tum Maniae, uxori illius, data esset administranda.⁹⁷) Zenis

90. De bello Cyri cf. Xen. anab. I. Hellen. III. 1, 2. Diod. XIV. 12. 19—31. Plut. Artax. 6—13. cf. Partic. I. pag. 12. Duas potissimum cladis Cyri ad Cunaxam fuisse putamus causas, primum quod tardius ex Asia minore in Asiam superiorem ascendit, quare Tissaphernes in tempore rem potuit deferre ad regem, tum quod nimiam fiduciam in Clearcho, tanquam magno duce, posuit. —

91. Xen. Hell. III. 4. Plut. Ages. 10. Artax. 23. Diod. XIV. 80.

92. Xen. Hell. III. 1.

93. Monendum videtur, tyrannos, qui summam imperii per urbes Graecas in regno Persarum habebant, numero praefectorum regis adscriptos, multum differe ab iis, quos Graeci eo nomine appellare solebant. Nam tyranni Graecarum urbium in Asia non erant rerum potiti in civitatibus, quae libertate utebantur (cf. Corn. Nep. Miltiad. 8), sed a rege acceperunt potestatem in urbibus regno eius iam subiectis.

94. Herod. V. 25.

95. Thucyd. I. 115. III. 31. 34.

96. Herod. l. c.

97. cf. Xen. Hell. III. 1, 10—12.

igitur et Mania ὑπαρχοὶ fuere Pharnabazi satrapae, quemadmodum Tissaphernis in Ionia Talmus quidam.⁹⁸⁾ Ceterum et satrapae et ὑπάρχου dignitas quovis tempore exstabat. —

Summum contra imperium, quo κάρανος (veluti dictator Romanus) praeditus erat, pro tempore tantum, quum maiora imminerent pericula, quae satrapae ut amoverent vel parum valerent, vel parum regi fidi essent, solebat institui. Ea καράνον dignitate Cyrus, Darii II. filius, extractus, in Asiam minorem descendit,⁹⁹⁾ cui, unde copias conscriberet et ubi eas lustraret, regio circa Castolum sita decreta erat. Cyro extincto Tissaphernes, quamvis non nomine, at re tamen in imperium καράνον successit.¹⁰⁰⁾ Itemque postea Pharnabazus ad pacandam Aegyptum imperio καράνον instructus est, cui, quo exercitum cogeret atque lustraret, regio event circum Acen (Ptolemain) sita¹⁰¹⁾. Καράνον ceteri duces et satrapae ita erant subiecti, ut milites, quibus imperarent, exercitui eius adiungerent (sic Tissaphernes et Pharnabazus Cyro, Pharnabazus postea Tissapherni). —

Tyranni urbium Graecarum subditi erant praefectis, sive satrapis sive ὑπάρχοις, ad quos de quavis re referebant, sicuti satrapae ad regem. Eo modo Histiaeus, tyrannus Mileti, Artapherni satrapae subiectus erat¹⁰²⁾. Tyrannis autem licebat magistratus quosdam, tanquam suos subpraefectos, urbibus praeficere, qui dicuntur ἐπίτροποι. Qua dignitate praeditum atque Histiaeo subiectum invenimus Aristagoram¹⁰³⁾.

Cap. IV.

De decemvirali imperio a Lysandro per Graecas urbes Asianas instituto, sive de Ἐταιρείαις et Δεκαδορχίαις, — causarum, quibus bellum inter Spartanos et Persas exarserit, expositionis pars III. —

Graeci in Asia, postquam Cyrus omnes fere tum notas Asiae gentes subiecit, et quum Athenienses et Spartani altera (occidentali) ex parte fines sui imperii propagare coepissent, semper in servitio aut Persarum, aut Atheniensium, aut Spartanorum fuere. Libertate, post bella cum Persis ab omnibus Graecis gesta et maxima cum gloria finita iis concessa, non ex necessitate certae pacis, quae neque Cimone auctore (ut posteriores fabulantur; nulla enim in foederibus inter Graecos et Persas posthac factis eius pacis fit mentio), neque certe traditis conditionibus¹⁰⁴⁾ composita erat, utebantur, sed quod Persae nimis erant debilitati, quam ut in eos in conspicuum omnibusque manifestum modum efficaciter dominari potuissent. Solae

98. cf. Diod. XIV. 35.

99. cf. Xen. Hell. I. 4, 2. 3. anab. I. 9.

100. cf. Xen. Hell. III. 1.

101. Diod. XV. 41.

102. Herod. V. 30. 31.

103. cf. Herod. I. c. et 35. 106.

104. cf. Diod. XII. 4. Plut. Cimon. 13.

tantum insulae maris Aegei post Persica bella ab imperio Persarum liberae fuerunt; sed Graecarum in Asia urbium conditio talis erat, ut quodam modo Persis subiectae viderentur esse. Omnis denique dubitatio, num ad Persarum imperium Graeci Asiani pertinerent, ab eo tempore sublatus est, quo eos Spartani in bello Peloponnesiaco, tribus illis supra (cf. cap. II.) commemoratis foederibus — quo iure vel qua iniuria factis diiudicare, non est nostrum — Dario II. regi tradiderunt. Immo vero Persae, foederibus illis nitentes, ut Graecas urbes Asianas ipsis obnoxiae manerent, iure quodam potuerunt poscere. Qua re et pax Antalcidea, qua bellum inter Persas et Spartanos gestum finitum est, quod attinet ad ius Persarum haud iniuste facta, solis tantum Graecis, praesertim Spartanis indelebilem prodicionis maculam iniecit¹⁰⁵) Athenienses autem, qui post bella Persica summam imperii inter Graecos consequuti erant, nomine sociorum adversus Graecos Asianos ita sunt abusi, ut hi ultimis belli Peloponnesiaci annis sponte ad Lacedaemonios deficerent, et qui id sponte non fecerant, a Lacedaemoniis, quum Atheniensium imperium fractum esset, vi subacti sunt.

Sed Lacedaemonii iam initio sui principatus — id quod Athenienses non fecerant — socios docuerunt, potum (ut Plutarchi verbis utar¹⁰⁶), quem iis Lacedaemonii praebent, non esse dulcem libertatis, sed acerbum et amarum servitutis. Ea denique libertas, qua, si quam iis vel Persae vel Athenienses vel Spartani permiserant, Graeci Asiani uterentur, motibus civilibus, quum in duas, popularium et procerum, factiones discederent, ita erat corrupta, ut pro nihilo haberi posset. Nunquam enim proceres urbium illarum imperium, a populo ipsis detractum, quacunque iniuria aut scelere sibi restituere dubitaverunt. Quae res non effugit Lysandrum, callidissimum hominem, quum in eo esset, ut sibi ipsi imperium pararet. —

Lysander enim, quum per omnes Lacedaemoniis subiectas civitates imperium populare cum imperio paucorum commutaret, nihil quidem fecit, quod Lacedaemonii iam non antea conati essent; (quum illi per totum belli Peloponnesiaci tempus inde a motibus civilibus in urbibus Plataeis¹⁰⁷) et Coreyra¹⁰⁸) usque ad expugnatam per Lysandrum Samum¹⁰⁹) populare imperium, quod Athenienses adiuabant, consiliis suis non opportunum ideoque tollendum esse, cognovissent¹¹⁰); sed imperii paucorum a Lysandro instituti genus fuit novum, ad eam rationem moderatum, ut non tam reipublicae, quam ipsi Lysandro esset emolumento.

Qui, ambitione elatus, summum inter omnes Graecos dignitatis locum appetens, paucos quosdam sibi ipsi ita adiungere voluit, ut imperium, quod iis pararet, non omnino Lacedaemoniis, sed ei soli acceptum referre viderentur eumque velut dominum colerent¹¹¹). Hoc modo

105. cf. Xen. Hell. V. 1, 29. 30. Diod. XIV. 110.

106. Plut. Lys. 13.

107. Thucyd. II. 2. sqq.

108. Id. I. 24. sqq.

109. Plut. Lys. 14. Xen. Hell. II. 2. 3.

110. At Spartani sibi ipsis repugnare videntur, quum temporibus superioribus tyrannis infestissimi essent (cf. Thucyd. I. 18) et ad eos ex urbibus Graecis pellendos permultum contulissent. Quae vero repugnantia tollitur, si consideras, tyrannos magis populo quam proceribus semper favisse, Lacedaemonios igitur, quum populum a tyrannis liberarent, proceres praecipue et eorum imperium adiuvisse.

111. Plut. Lys. 13. 16.

sibi eventurum putavit, ut reges aliosque viros potentes, qui suam potestatem detrectare viderentur, facillime auctoritate privaret. Licuit praeterea Lysandro, Alcibiadem, a Lacedaemoniis ob nimiam inter ipsos habitam auctoritatem et potestatem remotum, (v. cap. II.) veluti exemplum intueri, atque in tempore sibi cavere, ne, quando a republica non iam desideraretur, idem sibi eveniret. Neque in ea re temere se iudicasse, mox cognovit, cum Callicratidae cedere cogeretur (v. cap. II.) Itaque Lysander homines eadem imperandi cupiditate affectos inter se coniungere sibi adstringere tentavit. Quam Lysander habuit causam, quod, quae dicuntur *ἐταιρεῖαι*, per Graecas urbes in Asia effecit societates, — novum imperii paucorum genus.

*) a. Chr.
CDVII.

Lysander iam, simulatque ad Peloponnesiorum classem Ephesum venit*), multam assequutus est fidem atque gloriam apud Graecos Asianos, praesertim apud eos, qui in urbe illa habitabant, quum eam, navibus et longis et onerariis coactis, contra Persas, quibus tum maxime exposita erat, muniret atque et mercatoribus artificibusque et rebus venalibus expleret, adeo ut Ephesus eam, qua postea florebat, magnitudinem et magnificentiam iam tum prae se ferre coepisset¹¹²). Quae in eo posita fiducia et apud Graecos Asianos et apud Lacedaemonios in dies crescebat, postquam a Cyro, quem sibi in familiaritatem adiunxit, omnibus rebus abunde extractus est, ut praesidium ferre posset.

Tum Lysander, Sardibus (quam in urbem cum Cyro convenerat) reversus, Antiochum, legatum Alcibiadis, apud Notium devicit¹¹³), quo factum, ut Alcibiades, unus vir qui Lysandro par erat ingenio, ab Atheniensibus a bello revocaretur. Quibus rebus peractis Lysander audacissimum quemque imperandique cupidissimum Ephesum convocavit. Fuerunt autem ii non solum proceres, sed etiam alii, qui iam a populo summis honoribus ornati erant, et alii quovis loco orti, qui ad summos pervenire honores vehementer cupiebant¹¹⁴). Quos igitur omnes Ephesum convocatos viros Lysander sibi adiunxit socios, quum illis, qui honorum iam erant participes, promitteret, se totam imperii summam populo ademtam ad eos delaturum, aliis qui nullum in republica locum tenebant, se eos imperii participes esse facturum. Quae ut effici possent, Atheniensium ait potestatem antea esse frangendam, coetibusque (societatibus, *ἐταιρεῖαις* — politische Klubs) mixtis homines esse inserendos eadem spe eodemque studio (imperandi) imbutos, coniuratosque in singulis urbibus ad administrandas res quantumcunque possent animum intendere debere. Eo modo decemviralis imperii, quod Lysander postea instituit, initium factum erat. Promissis autem ut maiorem fidem faceret Lysander iam tum, quantum pro sua in urbibus auctoritate potuit, viros illos, quos in amicitiam vel in hospitium excepit ad honores et magistratus adduxit. Quare, qui communi cum Lysandro coniuncti essent utilitate, Callicratidae, qui illum in imperio excepit, optima quaeque consilia irrita reddiderunt et Lacedaemoniis facile persuaserunt, in uno Lysandro spem salutis esse. Quo factum est, ut Lacedaemonii anno sequente**), postquam Callicratidas ad Arginussas insulas cecidit, Lysandrum iterum in Asiam mitterent¹¹⁵), legati quidem (*ἐπιστολέως*) Araci nomine, re tamen imperio instructum. Lacedaemonii enim ita iam didicerant legem interpretari, ut, si res quaedam esset vetita, nomen eius pro vetito haberent, non rem ipsam.

**) a. Chr.
CDV.

112. Plut. Lys. 3.

113. Xen. Hell. I. 5. Plut. Lys. 5.

114. cf. Plut. Lys. 5. 7. 13.

115. Plut. Lys. 5. 6. 7. cf. Xen. Hell. II. 1.

Lysander igitur redux in Asiam ab amicis illis summo cum gaudio exceptus, primum sibi proposuit, Athenienses, quos, dum valerent, urbes Asiae a novo paucorum imperio defensuros esse sciebat, plane devincere. Quod quum ultra spem ita perfecisset, ut Athenienses, ad flumen Aegos maxima clade fusi, totam fere suam rempublicam eversam viderent, in Asiam revertitur. Ubi interea societates illae, in dies auctae, omnia sollicitaverant et conturbaverant, adeo ut Lysandro, quum advenisset, operi suo perficiendo extremam tantum manum, ut ita dicam, imponere liceret. Qui per singulas in Asia urbes Graecas proficiscens¹¹⁶), nullo interposito discrimine, si qua in Spartanorum potestate esset vel non, imperium populo eripuit et paucis illis, quibus promiserat, dedit¹¹⁷). Qua eum crudelitate et perfidia in quibusdam (a scriptoribus allatis) urbibus id effecisse legimus, eadem in ceteros quoque usum esse, iam ex universa natura Lysandri et ingenio¹¹⁸) coniecere possumus, quippe qui deterrimas quasque et foedissimas artes, dummodo ad optatum rei finem perducerent, probaret. In aliis enim urbibus populum, qui paucis illis dominis instituendis resisteret, ex improvise aggressus ad necem proripuit; in aliis urbibus populum, etiamsi imperium paucorum quiete ferentem (nihil enim Lysandri saevum adversus populum animum potuit flectere, quia semper aliquid periculi in populo timebat), et magistratus inter se eo usque exacerbavit, ut ad arma concurrerent. Sic ubi nihilo minus populum imperantibus reconciliatum videret, omni auxilio pollicendo id effecit, ut plebis seditio fieret, qua orta, audacissimos quosque ut homines seditiosos iustique imperii detrectatores interfici iussit. Simili modo, ut unum foedissimi illius facinoris Lysandri exemplum afferamus, Mileti populum decepit¹¹⁹). Qua ille cruentissima ratione omnibus Graecis urbibus Asianis novum imposuit paucorum imperium, quod quale fuerit, nunc est exponendum.

Omnia igitur per societates illas, quas dicimus *ἐταίρειας*, quum Lysander, Atheniensibus

116. Primos decemviratus Lysander instituit non multo post victoriam ad flumen Aegos reportatam, et quidem in iis urbibus, ad quas, Athenas petens classem appulit (Plut. Lys. 13); rem perfecit Athenis redux in Asiam. In ea re autem differunt inter se Xenophon et Plutarchus, quod hic Lysandrum Athenas, antequam essent expugnatae, bis profectum esse tradit, ille semel tantum. Utcunque res se habet: in ea tamen re consentiunt, Lysandrum, priusquam omnino post pugnam ad flumen Aegos Athenas pervenerit, iam per multas urbes decemviratus instituere coepisse. (cf. Xen. Hell. II. 2, ubi de Lesbo insula et aliis insulis sermo est; Plut. Lys. 13. — Facinus a Lysandro Mileti patratum ((Plut. Lys. 8. 19)) sub idem tempus haud dubie cadit, quamquam a Plutarcho in rerum contextu ante pugnam ad flumen Aegos commissam enarratur; sub idem quoque tempus quod Corn. Nep. Lys. 2 de Thaso insula affert.) Neque minus ex utroque apparet, Lysandrum, quum Athenis in Asiam reverteretur, rem iam antea inceptam ad finem tantum perduxisse. Plutarchus enim rei summam narrando innectit tempori, quod primum Lysandri Athenas adventum antecedit, sequente tempore, quum Lys. Athenis in Asiam revertisset, Plutarchus enarratione rem in universum tantum repetit et e. g. quae facta essent in Samo, affert. Et Xenophon quidem reipublicae Samiorum commutationem eo tempore factam enunciat, quo Lys. Athenis in Asiam rediisset, quem autem reditum non ante expugnatas Athenas ponit (Xen. Hell. II. 3), et hoc quidem ad verum temporis ordinem disposuit.

117. Plut. Lys. 13.

118. cf. id. Lys. 7. 8.

119. Plut. Lys. 8. 19. Octingentos fere ex populo necavit.

devictis, in Asiam reverteretur, erant praeparata. Ex iis quidem Lysander denos electos singularum urbium rebus administrandis praefecit, sine ullo vel generis, vel opum et divitiarum discrimine, si modo ingenio et viribus ad consilia eius perficienda respondere viderentur¹²⁰). Singularum urbium decemviratibus (quod novi imperii nomen sumptum erat a numero singulis urbibus praefectorum magistratum), ex ipsis urbium civibus creatis, unum ex Lacedaemoniis praefecit (*ἀποστήν*). Quos praefectos Lacedaemonii iam antea in urbes expugnatas miserant, eosque tunc Lysander, summo imperio instructos, retinuit. Fastigium illud imperii decemviralis Lysander e numero Lacedaemoniorum creavit eo consilio, ut et illorum causa omnia videretur fecisse (atque re vera ei contigit, ut decemviratus ab ephoris comprobarentur¹²¹) utque totum institutum magis firmaret. Nam praefecti illi e numero Lacedaemoniorum creati nihil habuere causae, quod unquam rem communicarent cum populo (id quod fieri potuit, si soli decemviri, ex civibus urbium electi, imperarent), vel quod omnino aliter exercerent imperium, atque Lysandro esset gratum. — Fructus vero decemviralis imperii, quos et Graeci Asiani et Lacedaemonii perceperint, tristes profecto et pessimi fuere.

Decemviratus enim, quod princeps eorum semper fuit vir Lacedaemonius, ita erant comparati, ut vel minima libertatis species Graecis urbibus Asianis adempta esset, quare Lacedaemonii in maximum apud eos odium inciderunt et, quum socios in Asia sibi deberent in maiorem fidem adiungere, ut Graecos in Europa¹²²), quorum multi vi tantum coacti Lacedaemoniorum principatum perferebant, primo quoque tempore se et desciscere et arma capere minantes¹²³), domare possent, eos quos haberent socios in Asia, crudeli imperio praefectorum, saepe ex infimo loco sumptorum, magis magisque exacerbarunt. Neque sibi solum populum Graecarum in Asia urbium, irascentem ob ereptam libertatem, alienarunt, sed etiam quos ei imposuerant decemviros, potentia coërcitos per praefectos suos, irritabant. Ii autem decemviri omnia semper postponebant cupiditati imperii, quod, quum obtrectatum et post mortem Lysandri fere extinctum viderent per Lacedaemonios, non aspernabantur, Persarum auxilio sibi reficere, neque quibus artibus, sive dolo sive vi id fieret, rationem habendam esse putarunt. Itaque ea praecipue Graecorum Asianorum pars, quum Antalcidas foedissimae pacis componendae consilium cepisset, lubentissimo animo se illi adiunxit plurimumque contulit, ut pax illa probaretur¹²⁴). —

Sed Graecis Asianis decemviralis potestas non solum tempore sequente fuit maximo detrimento, sed etiam quum primum exstitit. Nam et motus civiles populum agebant in magistratus ipsi praepositos, et Persae, qui in urbibus sibi antea, factis cum Lacedaemoniis

120. Plut. Lys. 13. 14.

121. Diod. XIV. 13.

122. Graecos in ipsa Graecia semper intelligas, peto, quum Graecos „in Europa“ commemoramus.

123. cf. Partic. I. pag. 10. Thebani et Corinthii bello Peloponnesiaco finito paulo post infestos se ostenderunt in Lacedaemonios (cf. Xen. Hell. II. 4. Diod. XIV. 6). Argivorum antiquum in eos odium notissimum est. Peloponnesiorum praesertim Elei Lacedaemoniis irascebantur (v. cap. II.), tum Arcades, Aethioli. Athenienses denique nihil magis exoptasse apparet, quam ut data occasione molestissimum Lacedaemoniorum iugum reiicerent atque ulciscerentur. cf. Xen. Hell. III. 2. 5. Sievers cap. I. et Partic. I. p. 28.

124. cf. Sievers cap. IV.

foederibus (v. cap. II.) traditis novum imperium aegre ferebant, et quum Lacedaemoniis in primis, qui imperio illo instituto, pactorum immemores, urbes Graecas tanquam suas tenebant, tum Graecis quoque Asiae, qui imperium illud sive vi coacti sive sponte patiebantur, irascebantur ideoque tempus in utrosque vindicandae iniuriae exspectabant. Illo enim tempore, quo Lacedaemonii erant potentissimi, Persis erat cavendum, ne quid praemature contra eos agerent. Qua de causa Persae satis sibi pro tempore videbantur facere postulantes a Lacedaemoniis, ut Graecas urbes Asianas patriis legibus uti sinerent. Quo ab ephoris magis invidia in Lysandrum commotis, quam probitate erga Persas vel ipsas urbes illas Graecas, concesso¹²⁵), ad id alterum Persae processerunt, ut Graecorum urbes Asianas suo imperio recuperare coarentur¹²⁶).

Sed priusquam id conati essent, — quae belli inter Persas et Spartanos orti proxima erat causa (v. Partic. I. cap. I.), — nova in bello, quod Cyrus contra regem Artaxerxem fratrem suscepit, exorta est causa (v. l. c.), qua commoti Persae Graecos Asianos in suam redigendi potestatem firmius ceperunt consilium.

Reliquum est, ut quamdiu decemvirale illud imperium constiterit, paucis enarremus. Omnino in hac re memorandum est, quae Lysander instituerit, ita fuisse comparata, ut, quamdiu ipse floreret, integra servarentur; quum primum ille a republica discessisset, simul collaberentur. Quod quidem iam factum est, quum Lysander, accusatus a Pharnabazo domum revocatus esset (v. cap. II.) Tum vero Lysander, Atheniensium viribus per Thrasymbulum aliquanto relictis, iterum ad auctoritatem aliquam venit et decemvirale imperium restituit quodammodo, sed mox invidiae procerum, inprimis regis Pausaniae, cedere coactus ad vitam privatam rediit privatusque vixit usque ad a. Chr. CCCXCVII.

Persae autem opportunum illud tempus haud praetermittendum esse putarunt. Nam ephori, Persis haud dubie postulanti, aliquanto post leges patrias per Graecas urbes Asianas restitui iusserunt. Quae nova rerum commutatio novos motus civiles excitare debuit. Iam tunc quidem decemvirale imperium, quod iusto illo nomine definias, sublatum est. Viri autem, qui eo privati essent, retinebant cupiditatem imperii et gratum erga Lysandrum animum. Qua de causa, ubi Lysander postea cum Agesilao ad bellum in Persas gerendum rediit¹²⁷), multam spem conceperunt, fore ut sibi decemvirale imperium redderetur. Ea tamen spes, Lysandro, quod nimia superbia se gerebat, ab Agesilao omni fere auctoritate privato, ad irritum cecidit. Lysandro denique uno anno post in proelio ad Haliartum occiso¹²⁸), omnis decemviralis imperii restituendi spes intercisa est. Sin denique aliquae decemviralis potestatis reliquiae diutius manerent, illas quidem Conon Atheniensis, victoria ad Cnidum reportata, radicitus exstinxit¹²⁹). —

Sed non praetermittendum est, id quod hoc loco iterum liceat meminisse, multos eorum, quibus potestas illa interclusa erat, mansisse promptos, ut sibi quocumque modo imperium restituerent; eorumque ope Antalcidas, Persis et Graecis pacem suadens, poterat niti. —

125. cf. Xen. Hell. III. 4. Sievers. cap. II.

126. Xen. Hell. III. 1.

127. Plut. Lys. 23. Xen. Hell. III. 4.

128. Plut. Lys. 28. Xen. Hell. III. 5.

129. Xen. Hell. IV. 3. 8. Diod. XIV. 83. 84.

Cap. V.**Quas in partes bellum inter Persas et Spartanos gestum
natura sua disponendum sit.**

Per primos quinque annos bellum in Asia gerebatur a solis Lacedaemoniis sociisque eorum et Persis, ac proeliis quidem terrestribus. Quam belli partem diversissimam a sequenti natura sua priorem censemus et haec quidem in ea observamus. Lacedaemonii et Persae non certo quodam consilio, sed arbitrio singulorum ducum, atque magis dolo et fortuna, quam virtute bellum gerebant. Itaque Lacedaemonios demum eo usque videmus progressos, ut ad Asiam expugnandam ultimo tantum quasi gradu opus fuisse videretur; Persas ad interitum iuxta defatigatos. Sed dum Lacedaemonii bellum contra Persas gerunt, tantum abfuit, ut principatum suum, Graecos vehementer prementem, relaxarent, ut crescentem in dies Graecorum in ipsos invidiam et odium negligerent, vel magis excitarent, adeo ut Graeci, principatu Lacedaemoniorum nihil iam molestius ferentes, facile a Persis, qui, consilii Tissaphernis et Alcibiadis memores, ultimam salutem in discordiis inter Graecos ipsos augendis belloque excitando quaerebant, ad bellum contra Lacedaemonios commoverentur.


Incipit inde altera belli pars, multo diversa a priore. Accedit enim ad bellum Lacedaemoniorum cum Persis novum cum Graecis, quod dicitur Corinthiacum, minus foeda Persarum pecunia, quam communi in Lacedaemonios odio excitatum. Atheniensibus praeterea, ubi ope Persarum a Conone allata rempublicam refecerunt, ad bellum commotis, omne discrimen revocatum est ad copias navales. Denique Lacedaemonii, quum priore belli parte de imperio in Asia cum Persis certavissent, hac altera parte, de illo iam desperantes, a maioribus consiliis ita recesserunt, ut rursus de principatu tantum inter Graecos contenderent. Quod quum soli retinere non potuissent, bellum cum Persis omittunt eosque, Graecis in Asia, quos ipsi in Persas duxerant, turpissima illa pace Antalcidea proditis, sibi adiungunt socios. —

Sed prior illa belli pars haud inepte in alias deinceps partes disponi posse videtur, si id spectamus, qua temeritate nulloque rei discrimine a Thimbrone et Dercyllida in Persas pugnatum sit, quam celeriter contra res Persarum in praecepta commutatae sint, ubi Agesilaus rex ad bellum in Asiam venit. Itaque priorem belli partem, quam particula priore operis nostri enarravimus, ita disposuimus, ut bellum, quod gerebant Thimbro et Dercyllidas, distinguamus a bello duce Agesilao gesto. —

Absoluta igitur operis nostri particula posteriore, omnia, quae ad partem priorem belli illustrandam pertinent, satis plane exposita videntur esse. Spero autem, fore ut alteram belli partem mox adiungam, si tempus et animus ita tulerit, quae me spes ut ne frustretur,

Deus O. M.

faxit velim. —



B. Allgemeine Lehrverfassung.

— 132 —

A. Sprachen und Wissenschaften.

I. PRIMA (A und B combinirt).

Ordinarius: Der Director.

1. Religionslehre. a. Für die kathol. Schüler. 2 St. w. Religionslehrer Warmke. Die wichtigsten dogmatischen Gegenätze der Katholiken und Protestanten. Die allgemeine Glaubenslehre. Nothwendigkeit der Offenbarung. Darlegung der geschichtlichen Wahrheit und Glaubwürdigkeit der hl. Schrift. Lektüre und Erklärung des Evangelii des hl. Johannes im Urtext.
b. Für die evangelischen Schüler. 2 St. w. Pfarrer Lebermann. Die 3 Episteln des hl. Evangelisten Johannes, die Briefe an die Epheser und Philipper im Grundtexte. Neuere Kirchengeschichte. Repetition früher behandelter Pensa, namentlich von der Kirche und von dem Bekenntnisse. Kurzer Abriß der Symbolik.
2. Deutsche Sprache. 3 St. w. Oberlehrer Fahlé. Litteraturgeschichte, von Haller bis auf die neueste Zeit, nach Bone. Lektüre von Schiller's Wallenstein und Göthe's Tasso. Grundzüge der formalen Logik, nach Beck. Correctur der Aufsätze.
3. Polnische Sprache. a. poln. Abth. 2 St. w. Oberlehrer Maron'ski. Aeltere polnische Litteraturgeschichte. Lektüre und Erklärung der Listy z Krakowa von Kremer. Alle 4 Wochen ein Aufsatz.
b. Deutsche Abtheilung. 2 St. w. Gymnasiallehrer Dr. Fior. Wiederholung und Vollendung der polnischen Formenlehre. Uebersetzung der entsprechenden Stücke aus dem Elementarbuch von Popliński. Uebungen im Sprechen und Schreiben.
4. Lateinische Sprache. 8 St. w. Horat. carm. L. III und IV und einzelne Satiren. Memoriren von Oden. 2 St. w. Gymnasiallehrer Samland. — Tuscul. Disput. Lib. I. und Tacit. Agricola. Erklärung der Autoren in lateinischer Sprache. Privatim Bell. Jugurth. Tuscul. II und Livius XXI und XXII. Cap. 69 der größeren Grammatik von Schulz und Moduslehre. Correctur der Exercitien und Aufsätze. Extemporalien und Sprechübungen. 6 St. w. Der Director.
5. Griechische Sprache. 6 St. w. Gymnasiallehrer Dr. Thomaszewski. Hom. II. XV bis XXII in der Klasse, XIII, XIV, XXIII und XXIV privatim. Sophocl. Antigone, mit einer Einleitung über das attische Bühnenwesen. Demosth. Olynth. I — III und De pace. Einzelne Abschnitte der Syntax wiederholt und gründlicher durchgenommen. Correctur der Exercitien und Extemporalien.

6. Hebräische Sprache. 2 St. w. Religionslehrer Warmke. Das Buch der Richter C. 1—7. Einzelne Psalmen. Wiederholung des Cursus der Secunda. Unregelmäßige Verba. Einzelnes aus der Syntax. Schriftliche Uebungen im Uebersetzen und Analysiren.
7. Französische Sprache. 2 St. w. Der Director. Athalie von Racine. Grammatische Repetitorien. Uebungen im Sprechen und Schreiben. Correctur der Exercitien.
8. Mathematik. 4 St. w. Oberlehrer Fahlé. Repetitorium des gesammten Lehrpensums. Lösung von Aufgaben. Correctur der schriftlichen Arbeiten.
9. Physik. 2 St. w. Oberlehrer Fahlé. Wiederholungen aus der Mechanik. Optik, nach Koppe und Spiller.
10. Geschichte. 3 St. w. Der Director. Geschichte der neueren Zeit. Geschichtliche und geographische Wiederholungen früherer Lehrpenssa.

II. SECUNDA (A und B combinirt).

Ordinarius: Oberlehrer Maroński.

1. Religionslehre. a. Für die kathol. Schüler. 2 St. w. Religionslehrer Warmke. Fortsetzung der Beendigung der Glaubenslehre und des allgemeinen Theiles der Sittenlehre. Die Kirchengeschichte bis zur Glaubensstrennung, nach Martin.
b. Für die evangelischen Schüler. Combinirt mit Prima.
2. Deutsche Sprache. 2 St. w. Gymnasiallehrer Dr. Pior. Stilistik und Poetik, nach Bone II. Theil. Lektüre der Wallenstein'schen Trilogie und einzelner Gedichte aus Bone. Deklamationen und freie Vorträge. Uebungen im Disponiren. Correctur der Aufsätze.
3. Polnische Sprache. a. poln. Abthl. Oberlehrer Maroński. Poetik nach Cegielski's Nauka Poezyi. Lektüre von Krasicki's Pan Podstoli. Memoriren von Gedichten in Verbindung mit biographischen Notizen der betreffenden Dichter.
b. Deutsche Abtheilung, combinirt mit Prima.
4. Lateinische Sprache. 10 St. w. Virg. Aen. Lib. VI. und VII. 2 St. w. Der Director. Liv. Praef. und L. II. Cic. pro leg. Man. und pro Mil. Privatim lasen die Obersekundaner Liv. I. und die Untersekundaner Caes. bell. civ. I. Erklärung theilweise in lateinischer Sprache. Memoriren und Sprechübungen. Wiederholung und gründlichere Einübung einzelner Abschnitte aus der Grammatik. Correctur der wöchentlichen Exercitien aus Cüpfle und der angefertigten 4 lateinischen Aufsätze. Extemporalien und Retroversionen. 8 St. w. Oberlehrer Maroński.
5. Griechische Sprache. 6 St. w. Hom. Odys. XI bis XIV incl. Privatim L. XVIII und XIX. 2 St. w. Oberlehrer Maroński. Xen. Cyrop. II. (zweite Hälfte) und III. Herod. I. bis c. 80. Privatim Anab. V. und VI. Wiederholung der Formenlehre, der Syntax des Verbi, nach Buttman und Krüger. Uebersetzung der entsprechenden Uebungsbeispiele aus Halm. Correctur der Penssa und Extemporalien. 4 St. w. Gymnasiallehrer Samland.
6. Hebräische Sprache. 2 St. w. Religionslehrer Warmke. Elementar- und Formenlehre bis zu den unregelmäßigen Verbis. Einzelne Capitel der Genesis. Uebungen im Schreiben und schriftliche Anfertigung von Conjugationen.

7. Französische Sprache. 2 St. w. Gymnasiallehrer Dr. Pior. Charles XII. L. VII. und VIII. Wiederholung der Formenlehre. Syntax nach Ahn, Correctur der schriftlichen Arbeiten.
8. Mathematik. 4 St. w. Oberlehrer Fahlé. Trigonometrie. Gleichungen des ersten, zweiten und dritten Grades; logarithmische Gleichungen, diophantische Aufgaben. Repetitorien über Progressionen, Potenzen, Wurzeln und Logarithmen. Binomischer Lehrsatz. Correctur der schriftlichen Arbeiten.
9. Physik. 1 St. w. Oberlehrer Fahlé. Ausführliche Einleitung chemischen und mathematischen Inhalts. Mechanik der festen und flüssigen Körper.
10. Geschichte. 2 St. w. Oberlehrer Maroński. Macedonische und römische Geschichte, in Verbindung mit der alten Geographie. Repetitorien aus der brandenburgisch-preussischen und der deutschen Geschichte.
11. Geographie. 1 St. w. Oberlehrer Maroński. Die außereuropäischen Welttheile. Geographie von Deutschland.

III. TERTIA A.

Ordinarius: Gymnasiallehrer Dr. Chomaszewski.

1. Religion. a. für die katholischen Schüler 2 St. w. Religionslehrer Warmke. Glaubenslehre und Einzelnes aus der Kirchengeschichte, nach Deharbe. Repetition der biblischen Geschichte des N. T.
